



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Medardus Ep. 8. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

360 VITÆ SANCTORUM. 8. Iunii.
triennium integrum; Dominicis duntaxat
diebus panem & aquam è Severini ma-
nibus libare solitus; cùm demum iubente
Camerinensi Episcopo, emortuam ab
inaudito carcere manum, utique concili-
liato Numine, recepit. Audite peccato-
tes. VICTORINUS momentum unum
trienni supplicio vindicavit; nos ævo
continuo peccamus, & vix momento re-
suscipimus. *Ex Phil. Ferrar.*

*Inanis est penitentia, quam sequens culpa
coinquinat: nihil profunt lamenta, si
replentur peccata. Nihil valet de malis
veniam postulare & mala de novo iterare.*
S. August. in soliloq.

S. MEDARDUS EP. 8. Iunii.

Nolit fortasse à Gildardo gemello suo
se jungi MEDARDUS, cum quo
ita communia habuit omnia, ut eodem
die ambonari, ambo denati, ambo sa-
cris infulis induti sint: leges tamen hic
seorsim de MEDARDI pueritiâ paucula,
de Gildardo paria cogitabis. In splendi-
das opes natus unicum earum usum nove-
rat, liberalitatem. Prætextam suam cæco
largitus, ad matrem propè nudus recur-
rit, gestiens quòd tantillâ veste Christum
induisset. Equorum custodiam cum ultrò
sibi depoposcisset, unius abducendi co-
piam egedo viatori fecit; cuius jacturam
cùm pater acerbè ferret, gregem recen-
sen-

8. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 361
sentibus numerus nullo capite imminutus apparuit. Ipse nihilominus pietatis suæ fructum præsentem tulit, aquilæ alis à pluviarum injuriâ defensus. De agrorum limitibus exarserat inter vicinos certamen, spectabatque res ad arma, nisi puer litem finisset. Saxum enim medio repertum campo pede contigit, suumque velut in molli cerâ vestigium impressit, eoque prodigio limitem vel ostendit, vel fecit. Eleutherio contubernali suo de mitrâ olim indipiscendâ oraculum dedit, cui postea vates ipse successit. Defuncto cælum faces funebres suppeditavit. Clotharius Rex Sandapilæ succollavit. Cum tumulo inferretur, cælum diduci pandique visum, nempe ut melior MEDARDI pars eò cum triumpho inveheretur, geminæ columbæ itineris duces futuræ obviâ profectæ sunt: quibus tertia, quæ de Sanctiore egressa est, sese junxit. Has alas animæ simplicitas & modestia affixerunt: nos in Pavoninis superbimus. *Ex Surio.*

Felix promissio, ut postmodum in divino liberetur examine, qui nunc subvenit egentibus in mœrore. Gloriosè mercatur, qui pro misericordia, quam pro pauperibus exhibet, totius Christianitatis continuam orationem promeretur. S. Pet. Dam. Opusc. 9. de Eleem.